



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

XII. De mortuis eucharistia detur, nec osculum: & ne velo vel palla
inuoluantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

larum cantica exercere , nec conuiua in ecclesia
Math. 21. præparare , quia scriptum est : *Domus mea , domus*
orationis vocabitur.

ANNO
CHRISTI
578.

X.

Non licet super vno altario in vna die duas Missas dicere : nec in altario vbi episcopus Missas dixerit , vt presbyter in illa die Missas dicat.

XI.

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias perexplere , quia in illa nocte non licet post medium noctem bibere , nec in natali Domini , nec in reliquis solennitatibus.

XII.

Non licet mortuis , nec eucharistiam , nec osculum tradi , nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

XIII.

Non licet diacono , velo vel palla scapulas suas inuolui.

XIV.

Non licet in baptisterio corpora sepeliri.

XV.

Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI.

Non licet die dominico boues iungere , vel alia opera exercere , nisi pro causis constitutis.

XVII.

Quicumque se propria voluntate in aquam iactauerit , aut collum ligauerit , aut de arbore præcipitauerit , aut ferro percusserit , aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit , istorum oblationis non recipiatur.

Capitular.
l. 7. c. 334.
Iuo part.
10. c. 6.